

p. 151. §. 34. *Discursum* prætereà animæ non derogamus, quamquam non eundem cum nostro; sed multò perfectiorem, quoniam anima extrà materiam magis agilior est, idque probamus ex *Ochamo* *qvast.* 12. l. 4. *sent. art.* 2. & *Abulensi* in 25. *cap. Matib.* *qv.* 580. dicentes: *Animam habitibus hinc delatis uti, ejusdem actus exercere, atq; in corpore excepto phantasmatum usu.* (2.) Quia idem Angelorum perfectioni non repugnat, multò minus Animæ S. *vid. Scheibl. & Ebel. in Met.*

§. 2. *Voluntatem esse potentiam A. naturalem, eamq;ve inorganicam* ex præcedentibus constat, actus quoq; ex actuali constat appetitu, qui in bonum antea cognitum fertur sine præviò tamen appetitu sensitivò. Positò nunc judiciò intellectivò, & voluntatis actibus, libertas quoq; ejusdem ponatur necesse est, quam etiam exeruit conjuncta corpori. Ad istam autem requiritur *indifferentia*, non ea, quæ consistit in τὼ agere *benè & malè promiscuè*, sed ea, quæ posita est in hoc vel illò *actu bonò* exercendò, duobus ab intellectu propositis & commendatis, & (2) eà, quæ sic bonum vult, ut non omninò repugnet ei, ex se velle malum seu bonum apparens. Nullius enim *Creaturæ* tanta naturalis est perfectio, ut non possit in agendò deficere, & ad malum se convertere, licet magis ad bonum propendeat. At dicis: scrupulum adhuc restare de animabus damnatis, quæ malorum luto immersæ semel, adspirare ad bona nequeunt; item de beatis, quæ peccare nesciunt. *Quæ* libertas beatarum & servitus damnatarum animarum, illa ex peculiari *DEI* beneficiò, hæc ex justò ejusdem judiciò futura sit, non constat ex naturæ lumine; sed solà *DEI* revelatione vel famâ aut traditione, aliove quocunq; nomine dicatur doctrinæ genere ex revelatione *DEI* hausto, deque eò hic non disquiritur. Saltim exponitur, quid animæ S. ex se, & naturæ suâ conveniat.

§. 3. *Ad variationem τὼ ubi accingimur.* Negârunt hanc *Durandus* 3. *sent. dist.* 22. *qv.* 3. & *Job. Picus Mirandulanus* *qv.* 1. *Apolog.* *Vide* citantem hos *Svarezius* in *Thom.* 3. *cora.* 2. d. 43. s. 2. qui non poterant sibi fingere, ut animam Christi quoad substantiam ad inferos descendisse crederent; sed impudenter
B 3 asseruere